



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

XIX. Infamis in matrem II. Pro viro contra uxorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**

## DECLAMATIO XIX.

*Ex superiore Argumento.*

## PRO VIRO CONTRA UXOREM.

**D**EBEBATUR quidem tristissimæ orbitatis misero pudori, ut jam taceremus omnes, & post tam prodigiosas rerum sermonumque novitates, oportuerat hoc esse novissimum de malis infelicissimæ domus, quod occidi filium pater. Sed quoniam mulier immodici semper affectus, super cuncta quæ vel passus sum paulo ante, vel feci, reatus quoque me dolore concussit, veni petiturus à vobis ne me scientem <sup>1</sup> silentium contentioni præstare credatis. Non quia occidi filium taceo, sed occisus est ut tacerem. Utinam iudices negare possem quod occidi, utinam totum miseræ necessitatis ordinem fas esset intrare, & oris hujus premere secretum. Miratur hanc aliquis patientiam meam? Ardor ille qui me modo impegit in filium, ipsa sui immanitate consumptus est. Quicquid erumpere posset in proclamationem, parricidio peractum est, <sup>2</sup> in orbitate conticuit. Non habeo affectum, nisi quo cuncta tantum patiar, audiam, feram. Utrumque de filio fieri non potest, ut & occiderim, & fatear cur meruerit occidi. Quapropter, iudices, satis admirari, satis stupere non possum, quod mulier, cujus præter optimam sane conscientiam, sexus quoque majorem malis nostris pudorem præstare debebat, tacere non potest silentium meum. Novo quinimmo fabulosoque secum impatientiæ genere dissentit. Queritur de populo quod loquatur, de patre quod taceat. Nec contenta confessione mariti, nihil se dissimulare, nihil scire reatus auctoritate testantis, mavult de silentio meo <sup>3</sup> facere secretum

<sup>1</sup> *Silentium contentioni præstare.* ] Forte: *confessione.* ideo filere, ne confitear. Sic mox, ubi nunc vulgo editur: *Nec contenta contentione mariti,* vet. edd. habent *confessione.* Gronovius.

<sup>2</sup> *In orbitate conticuit.* ] Malim con-

*ticui. Idem.*

<sup>3</sup> *Facere secretum orbitatis.* ] Distingue: *mavult de silentio meo facere secretum.* Orbitatis istud amentia sit, innocentia. Idem.

tum orbitatis. Istud amentia sit an innocentia, perditus dolor viderit. Ipsius animus potest scire quid filius meus dixerit, quæ me putat habere quod dicam. Fidem igitur vestram, iudices, ne vos orbitatis miseratione confundat sola mater, neve maximæ calamitatis ibi tantum putetis resedisse sensum, unde vos lacrymæ gemitusque conveniunt. Mei magis debetis in uxoris comparatione misereri, qui filium & perdidit & occidit. Ego sum infelicioꝝ ex parentibus duobus, qui quicquid, iudices, ista complorat, & patior, & feci. <sup>1</sup> Felicem ignorantiaꝝ conscientiam matris, quæ sufficit interrogare. Major me impatientia, major urit affectus: cur filium occiderim, indicare non possum, nec poenitet quod occidit. Infelix senectus, misera patientia, sic quoque quam multa dicenda sunt? Fuimus quondam, iudices, fuimus felicissimi parentes, cum adhuc ruris unici nobis blandiretur infantia: duravitque domus tota prosperitas, quandiu pariter fruebamur, pariter dileximus, quandiu civitas de nobis hoc solum poterat loqui, filium nos habere formosum. Ut vero in eam adolevit ætatem, in qua corporalibus bonis juvenus insolenter exultat, superbus atque arrogans, in nullum vitæ genus, non in privatos, non in publicos actus florentem duxit ætatem. Dii immortales, quantus qualisque circa juvenem rumor ingemuit! omnium maledictis succlamatus, omnium denotatione damnatus est, donec & ipse consensum circa se publici doloris agnosceret. Inde rarus in publico, & tanquam patris occursum, tanquam civitatis ora vitaret. Non est leve concipere verbis, in quantam civitatis execrationem, in quantam culpam juvenis inciderit. Dicitur est occidere posse patrem, dicitur est dignus quem posset etiam pater occidere. Quid facerem, iudices, infelicissimus senex? jam jam non evitabat fama nec patrem, jam meis auribus nemo parcebat. Interrogare non audebam, dissimulare non poteram. Fallitur quis-

<sup>1</sup> Felicem ignorantiaꝝ conscientiam.] scientiam matris, quæ sufficit interrogare.  
 Forte, ut Felix animi, felix curarum. To sufficit, ut infra: Viscera unici lacryare  
 Suspicioꝝ tamen: Felicem ignorantiaꝝ con- sufficit. Idem.

quisquis me putat quicquam fecisse consilio: impetus ac temporis ipsius nescio quis ardor explicuit. Præparari filio tormenta non possunt. Est in miseris penatibus pars remota, seposita, profunda tenebris, tristis accessu, omnibus apta flagitiis, & in qua audeat facere facinus & pater. Illo fateor dum me variæ cogitationes per totius domus spatia circumagunt, quantum intelligere licuit, improvisus adveni. Et ille quidem ad conspectum meum tanquam deprehensus obstupuit, refugitque trepidus, puto ne quærem causam. Irrumpo festinanter, avide, sine liberto, sine servulo, sicut me deprehenderat temporis illius fatum, manibus, ictibus, & quæcunque ex obviis dolor in telorum transtulerat usus, ultra vires senectutis aggressus: ignes ex proximo raptos, verbera quæ casus obtulerat, non diviso dolore, non per partes, non per intervalla suspenso, sed semel, sed pariter invado. Pars secreti fuit, ut ipse torquerem. Dii immortales, quæ contumacia, quæ fuit illa patientia, cum domi torqueretur à patre, non invocare matrem? Non repugnavit juvenis, non opposuit manus, nullum imploravit auxilium. Mersis tantum dejectisque luminibus, tanquam unquam flagella sustinisset, tanquam meis torqueretur oculis, omnes ictus exceptit in faciem: verberibus, ignibus, laudatos vultus, velut illis irasceretur, opposuit. Reddo testimonium novissimum pudori, cum jam mori vellet, occisus est. Laudo, iudices, patientiam matris, cum & ipsa semper plurimum esset domi, & ab illo secreto fortasse non longe, intervenire noluit, interpellare non ausa est. Sed & manibus meis gratulor, quod non propinquus aliquis, non amicus irrupit. occidisset quisquis me tunc ausus fuisset interrogare pro filio. Sepelivi tamen lacera membra, funus indulsi, ossa collegi. Non iniecit uxor lectulo manum, non inter exequias planctibus elisifque uberibus mihi fecit invidiam. Unde in hanc impatientiam prorupit, exiluit? domi me nihil interrogavit. Possum jam mater infelix coram liberis ac parentibus, possum audien-

audientibus diis hominibusque clamare. Et ego amavi filium meum, non osculis, non infirmitate, non lacrymis, sed viribus, dolore, patientia. Unicum, quem si acie clausisset hostis, vicaria morte servassem: si subitum cinxisset incendium, extulisset relicta meorum parte membrorum: eripui malignitati, abstuli famæ. Habeo quod imputem tibi naturæ pietas. Rem difficillimam feci, quod non me potius occidi. Malæ tractationis accusat. Adeone uxor tibi parum videor dedisse pœnarum post periculum & labores ne lucrifaciat pater, quod occidit filium suum? Non pudet ergo si irasceris parricidæ? Quid tibi cum lege quam vos propter minores accepistis affectus? Querelas habet ista non gemitus, & matre seposita solam complorat uxorem. Rursus ad populum vocas miserum pudorem? materiam novi rumoris accendis? Perdidisti ergo rationem secreti mei. Sic omnia feceram, ne quid aut quæri posset, aut dici. Jam vero quid impudentius, quid indignius, quam cum sibi de liberis credunt licere tantundem, & æquum jus patris ac matris esse contendunt, quasi nesciant nobis arbitrium vitæ necisque commissum? Non est privilegium, filium occidere cum fieri potest: nec quisquam tantum ideo fecit, quia liceret. Viscera unici lacerare suffeci. Ignosce, si non potes mihi credere: nemo filium suum occidit odio: non erit tanti juvenis invisus. Illud est in patribus usque ad parricidium terribile, quod amant, quod succurrunt, quod sibi videntur aliter non posse misereri. Non est quod vos ab æstimatione malorum meorum mollior sexus abducatur. Majoris affectus est filium occidere, quam vindicare. Desine igitur me mulier fatigare interrogationibus tuis. Ita tibi non videtur omnia respondere pro filio, qui dicit, occidi? Et licet comprimantur exclamationes? ora claudantur, nihil negat qui hoc fatetur. Atqui summorum facinorum ipsa immanitas innocentia est. Filium pater non demens, non infanus occidi. Hominem extra sensus affectusque positum quisquis nunc miseratur, occidit. Vides senem,  
sanguini

sanguine suo fluentem, laceratis exustisque illis sanctioribus charioribusque visceribus super exanimis unci corpus eruentis manibus jacentem? Horreo cadaver, & velut corpora quæ coelestis exanimavit ignis, adire propius timeo. Ad quædam facinora sufficit claudere oculos, vultus avertere, tacere, mirari, & incredibiles calamitates relinquere suis causis. Miserere, ne quid amplius quæras, ne quid interroges. Dicturum me putas, parce seculo, parce marito, parce patri? Tu vero parce illi qui occisus est. Novum, judices, uxoris in maritum crimen audite. Silentium est de quo quæritur. Solebat indignatio vestra convicia nostra ferre non posse, & matronalis indignatio dicere videbatur, non parcis erga me marite verbis, nullam habet nostri tuus sermo reverentiam, facile prorumpis in opprobria, facile quod libet objicis, exclamas, & dum nimium libertati vocis indulges, potest populus aliquem de me facere rumorem. Tu mulier objicis mihi rem quæ nulli unquam crimini fuit, solam in nostris moribus innocentiam voce reprehensam tuetur taciturnitas. Vide cur manus, cur verba peccare videantur. Illis infamamus, his torquemus, his occidimus. Vis scire quam non possis queri de silentio meo? Felicissima fueras, si idem fecissemus omnes. Finge me paulisper sepositis silentii causis hoc tantum respondere, non prodo secretum. Ex omnibus, judices, quibus humana pectora feriis gravibusque complectuntur affectibus, nullam difficiliorem quam silentii credo virtutem: adeoque promptissimo sermone facile delinquimus, ut constantiam tacendi neque in aliis ferre possimus. Crimen hoc in me mulier vocat, quod in prisca illis morum mentiumque rectoribus fuit prima sapientia, quod quosdam totius vitæ pertulisse <sup>2</sup>patientiam magis illa misera miratur antiquitas, quam quod temporum vices, siderum cursus, & profunda

<sup>1</sup> Quibus humana pectora feriis gravibusque complectuntur affectibus. Forte: conspiciuntur, id est, conspecta fiunt, hominum oculos in se convertunt. Gronov. <sup>2</sup> Patientiam magis illa misera. ] Lege: quod quosdam totius vitæ pertulisse patientiam magis illa severa miratur antiquitas. Idem.

funda naturæ velut conscia ratione sanxerunt. Quæ per fidem impotentia est effringere rigens sacra dissimulatione pectus? evolvere animum quem super sua secreta compositum, non lætitia, non dolor, non necessitas, non fortuna laxaverint? Quisquis de tacente queritur, multo minus ferre poterit loquentem. Nec adeo conjugali societate cuncta miscentur, ut nihil sibi adversus hanc concordiam proprium relinquat animus. Est aliquis etiam à sanguine suo secretus affectus, genusque reverentiæ, ut tacenda minime velis scire charissimos: quædam non possis verberibus, equuleis eruere: & plerosque videas fortiter super sua secreta morientes. Agedum (si videtur) utrunque sexum, omnem conditionem, omnem scrutemur ætatem: nullum sine conscientia pectus, nulla vita sine causis tacendi. Si te interrogaret omnia maritus, haberes aliquid & tu quod non fatereris. Et quanto silentium gravius est in sene, vercundius in marito, sanctius in patre? Pudeat nos mulier infirmitatis. Vicit nos modo juvenis ille constantia, mori voluit ut taceremus. Vides mulier quibus interpretationibus præstes tuum dolorem? Diceris ideo me interrogare, quia scis omnia me potius pati malle, quam loqui. Quis enim in hac civitate non novit taciturnitatis meæ rigorem? Quis ignorat qua cuncta soleam ferre patientia? Ne occisurus quidem suspiria gemitusque præmisi. Nihil feci unde erupturum quandoque in orbitatem patris animum aut tu præscio timore sentires, aut ipse periturus. Hanc nunc me jactare conscientiam putas, quod nihil in publico, nihil in ullo mihi permisi proclamare conventu. Ego vero non sum questus de juvene nec tibi, nec captavi ut illum mecum & mater odisset. Frustra te putas extorquere accusatione posse, quod mihi non ipsæ calamitates, non dolor, non meditatio orbitatis expressit. Uras licet, durabo, perferam. passus sum jam quod erat difficilium, occidi. Torsit, inquit, filium meum. Breviter, judices, ratio reddatur: Infamem quid refert, an innocentem, si illud omnibus liquet?

quet?

quet? Juvenem cunctis pignoribus invisum, omnibus affectibus gravem maligni fecere sermones. Quid agimus anime? quemadmodum effugimus, evadimus? In tanta infamia nihil facere, credentis est. Vis me circumire singulos, reclamare populo, cum rumore rixari? Tuæ fortassis infirmitati conveniat negare, me tantum fortior assertio unci decet. Eripiendus est non contentione verborum, sed ut civitas stupeat, ut erubescat. Torquere me filium putas? Invidiam facio populo. Videor mihi illis verberibus lacerare famam, illis ignibus increpare rumorem. Quæstio de infami filio unam rationem habet ut probes innocentem. Dii mala prohibeant, ut noveris illum dolorem, quo potest torquere filium pater. Nihil est infelicius homine, cui de unico suo mors sola non sufficit. Juvenem in cuius animo perdiderant nomina nostra respectum, quem cotidie necesse habeamus excusare rumori, qui inter nos formosum malebat agere quam filium, verberibus ignibusque consumpsi. Vis, vis scire quanta tormentorum ratio fuerit? Debit etiam tortus occidi. Si tamen utique mater vis scire causas, leniter audi. Prospiciebam miser in grande quandoque facinus prorupturum, quod ocio vitam, quod desidem domi perdebat ætatem. Non peregrinationibus excolere mentem, non experiri militiam, non tentare maria, non jura colere, non administrare rempublicam, non ducere volebat uxorem. Præterea traxerat ex frequentibus castigationibus tædium patris, & in execrationem mei, conscientia qua non emendabatur, exarserat. Timebat occursum, non audebat adire: colloquia, oscula, convictusque fugiebat. Breviter perditissimæ mentis definienda mensura est. Oderat me filius, & timebat. Filium igitur totius civitatis existimatione damnatum, quem adhuc vivere mirabantur homines, torfisse me putatis? Ego vero occidi, tarde, diu. Quæstionem illud vocas: Pœna, supplicium, & malorum meorum exitus fuit. Nulla ratio est interrogandi hominem, cui non est fas nisi negare. Quanta tamen  
mibi



mihi fuit & in quæstione moderatio? Non enim præcipiti raptus impulsu exilui repente, subito, nec captus dolore cæco impatientiæ meæ <sup>1</sup> velox vulnus induxi. Non potest non ratione occidi filius, cum ante torquetur. Dedi moras, spatium, tempus indulsi. Vides quantam hinc malignitatibus potuerim præstare materiam? si in illo secreto, gladio tantum, si vulneribus egiffem, exitum fecerat juvenis deprehensi. Non est igitur mulier, quod mihi facias duplicatæ quæstionis invidiam, id est, quod torseri, & occidi. Sola est hujus necessitatis ratio de morte. Illud est parricidium, filium torquere victurum. Putas juvenem vivere potuisse, cui jam non poterat nisi morte succurri? Quem contra malignos sermones asserere cœperam, non reddidi rursus infamiæ, neque in oculos & ora vulgi de secreto patris emisi: providentia mea tibi quoque mater, <sup>2</sup> ne in hunc interrogetur, eripui. Ille vero non fuit post tormenta daturus vitæ pudorem, ut interrogaretur à singulis, ut negaret. Verum mulier affectibus tuis renunciandum est, ad totius domus nostræ pertinere innocentiam credidi, ne se ipse potius occideret. Sentit, judices, mulier ad jus querelæ suæ nec quod torserim, nec quod occiderim, pertinere. Itaque quærit, quid mihi dixerit ille, de quo nescit an dixerit. Quid ais mater impatiens? Ita in morte filii tui nihil aliud ad te pertinet quam quid locutus sit? Ita si respondeo, remittis parricidium, tormenta non objicis? O inconsultam muliebrem semper amentiam! quid juvenis in tormentis dixerit tanquam ignoret, interrogat: nihil me comperisse non credit, tanquam sciat quid dixerit. Fidem communis sanguinis, fidem communium malorum, ne parricidii me velis agitare secretum, ne calamitatibus nostris gravem facias innocentiam tuam. Viderit quid meruerit juvenis ille, ego jam possum suprema revereri, & post exitum unci revertor in patrem. Major defunctis liberis præ-

R

standa

<sup>1</sup> *Velox vulnus induxi.* ] Alii *indixi.* Sed scribendum, *influxi.* Gronovius.

<sup>2</sup> *Ne in hunc interrogetur.* ] Lege, *ne adhuc interrogetur.* Idem.

standa reverentia est, nec quicquam minus convenit affectibus patris, quam si insultare videatur occiso. In gratiam me cum filio reduxit orbitas, iram nostram mors severa composuit. Quinimo recogitanti mihi totum secreti illius ordinem, subit tacita miseratio, quantam ego debeam reverentiam filio quem potui torquere solus, quem potui solus occidere. Perseveras, cogis, instas? Invicem, te, mulier, interrogo, cur si tantopere volebas scire quid interrogarem, quid ille loqueretur, non irruperis in quæstionem, quam nullis ministris, nullis custodibus vallaverat pater? Quanto melius mater ipsum adisses? quanto fortius interrogasses una? quanto tibi plura dixisset? Quis te, mulier, affectus abegit, tenuit, exclusit. Agnosco verecundiam tuam: timuisti, credo, ne si in illo secreto fuisset omnes, occidisse filium diceretur & mater. Instas tamen, & miseris ora diducis. Puta me hoc solum dicere, <sup>1</sup> ex maximi facinoris cunctatione veniens quid audierim, nondum scio: totus adhuc sum in parricidio meo, & post mortem unici omnia quibus laceratus, occisus est, in animum meum tormenta redierunt: Est quidem difficile, ut aliquem pati pudorem parricida videatur: veruntamen stupore, amentia, & silentio in orbitate defeci. Ablata est mihi omnium verborum fides, omnis sermonis auctoritas: nec habet causam loquendi, cui non potest credi. Desine, mulier, interrogare. Filium quem occidit pater, nec absolvere nec accusare jam debet. Quid, inquit, dixit cum occideres? Miseram parricidii innocentiam, quod hoc me non potestas, non magistratus, non propinquus aliquis, non amicus, non ille semper loquax populus ac malignus interrogat. Quiescitis, tacetis. Me infelicem, num quid scitis omnes? Puta me, mulier, hoc tibi respondere, non habent incredibilia vocem. Quædam majora sunt, quam ut illa capiat modus sermonis humani. Tu vero crede nihil aliud fuisse quam

<sup>1</sup> Ex maximi facinoris cunctatione. ] Lege, percunctatione, vel percentatione. Gronovius.

quam furorem. insanisse me puta, videbam, quæ non fiebant, audiebam quæ nemo dicebat. Hoc solum non insanientis habui, quod tacebam. Finge me respondere, nihil dixit, nihil locutus est, non credis? Atqui multo minus creditura quid dixerit. Accipe, mulier, brevem veramque rationem, cur in quæstione juvenis occisus est. Torquebam, nec interrogabam. si qua ad aures tuas ab illa quamvis remota domus parte perlata vox est, meus gemitus fuit, meorum viscerum dolor. Quæris, cur nihil dixerit? quia non habuit quod scire vellem, quod audire deberem. Nihil aliud quæstio illa captavit quam silentium, quod præstare vita non poterat. Quisquis in tormentis occiditur, ideo tortus est, ut occideretur. An tu quæstionem illam fuisse credis, qualis vernilibus corporibus adhibetur? Ideo enim equuleos movebam artifex senex, <sup>1</sup> tenebam fidiculas ratione sævitix, ut leviter sedibus suis emota compago per singulos artus membra laxaret. Consumptus est spiritus silentio sui, & verbera ignesque animum pariter vocemque cluserunt. Videbatur mihi premere gemitus, tenere suspiria: & sic nihil dixit, tanquam torqueretur ab homine qui sciret. Miraris hanc in filio contumaciam, in juvene patientiam? Patri torquenti non potest aliter responderi, quam ut mori malit quam confiteri. Quod sufficit igitur interrogantibus respondeo, mulier occidi. Fallitur quisquis expectat ut objiciamus illa communia, ego vero proclamo, non luxuriosum, non amore meretricis infamem, nihil ille delinquebat, quomodo liberi solent, monstrum erat inenarrabile, quod nollem deprehendere, quod ferre non possem. Miratur aliquis quod non abdicaverim, nec notissima ultione patrum fuerim tantum expulisse contentus? Tuus, mulier, nefarius, tuus inconsultus non permisit affectus. Filium cui contra severitatem meam ignoscebas, quem mecum odisse non poteras, secuta fuisses abdicatum. Finge juvenem dixisse nescio quid, ego

R 2

audire

<sup>1</sup> Tenebam fidiculas.] Forte: tenebam. Idem.

audire nihil potui. non enim potestatis alicujus more confederam, nec torquentibus aliis <sup>1</sup> agebam judicem patrem. Ego tunc cuncta & passus sum pariter, & feci. Non vacabat aures præstare verbis, excipere gemitus, æstimare singultus: avocavit me contentio, dolor, orbitas, parricidium: omnia facta sunt festinatione præcipiti. Idem patris affectus est torquere ut scias, occidere ut nescias. In meam, inquit, infamiam taces. Ita nunc primum laboras misera de fama, & post unici mortem pertinere ad te cœpit quid loquantur homines? Scilicet filius impensus est ut erubesceres, ut male audires? Adeone hoc captanti non erat satis rem totam commisisse rumori? Ego vero me famæ tuæ, mulier opposui, & inter matrem filiumque medius parricidium feci: unicum occidi, ne quid aliud loquerentur homines. Alioqui si hoc capto quod putas, quousque taceo? in quod tempus differo illam quam me putas premere vocem? Ecce reatus judicium pronuntio, ego tamen scire me nego. Egregiam rationem malignitatis: locuturus adversus uxorem, feci ne mihi crederetur. Fateor igitur, nihil ad certum indubitatumque perduxi, hoc est quinimo propter quod ad mortem usque contendi. Non explicant tormenta quæstionem, quæ occidunt. Quid, inquit, dixit? Felicem te misera, si nescis quid dixit. Ita non es contenta conscientia tua? non sufficit quod non habuit ille quod negaret, quod fateretur? Poscis verba quæstionis, cogis, extorques. Testor, tu facis ne possis negare quod dixerō. Quid dixit? parasse se parentibus venenum? negas. Proditionis agitalle sermones? negas. Tyrannidis inisse consilium? negas. Et quicquid dixerō, negabis. O bonæ conscientiae incauta simplicitas! Ita non times ne coactus loqui multa fingam, multa componam? Si potes scire, mulier, an mentiar, scis quid dixerit. Quid dixit? nihil. Quid dixit? omnia. Male dixit seculo, fecit temporibus invidiam, detestatus est patrem, conviciatus est matri. Quid dixit?

<sup>1</sup> Agebam judicem patrem.] Utrum pater, an judicem vel judicis partem. Gron.

dixit? plus quam interrogabam. Vicisti, mulier, obstinationem meam. Audi breve succinctumque responsum quid dixerit: quod quæris, quod putas. O si quis in illam vos secreti nostri potuisset adhibere præsentiam! vidissetis novum genus quæstionis, stabam senex furiis monstrosæ feritatis accinctus, manibus exertis, hinc ignibus, hinc verberibus armatus: super ora, super oculos jacentis assistens clamabam, furiose, demens, tace. Et ille velut exultis amputatisque per quæ dolor exitus in verba, fuit attonitus, amens. Quoties admotis ignibus ad aliquam corporis partem, totum pectus imposuit? quoties hiatu oris, avide flammam adversus exeuntia verba collegit? Cum vero jam totus calor verberibus expulsus, viribus novissimi doloris erumperet, pertractis ab ima pectoris parte suspiriis brevissime collecti spiritus, ille quo redditur anima singultus fuit similis exclamatorio nescio quid, quod & tu fortassis audires. Occupavi, fateor, & advocatis quas jam consumpseram viribus, manibus, telis, totoque corpore pariter adnixus antequam mentiretur, occidi. Misera temporis illius recordatio, deficientem in manibus meis filium vidi, aspexi ora pallentia, frigidus anhelitus, interrupta suspiria, & animam magno silentio exeuntem, non tamen tormenta laxavi, non subtraxi restinxi que flammam. Miserere, mulier, ne quæras amplius vocem hujus affectus, filium qui moriebatur, occidi. Non perdidit tamen, non perdidit unci mortem: <sup>1</sup> fortunam non perdidit, jam me non interrogat nisi sola mater. Consiste, agedum mulier, loco meo, & in habitum paterni furoris accincta admove equuleos, flagella, laminas: perdico, testor, aliter non possum loqui, aliter mihi non potest credi. Quanquam miserrime juvenis (fas est enim jam tuos alloqui manes) exprimere mihi vocem nullus poterit dolor, quantum velit laceret, vel occidat: vincere me tormenta docuisti. Si

R 3 tamen

<sup>1</sup> Fortunam non perdidit.] Scribendum: | tem, fortuna: non perdidit. jam me non in-  
Non perdidit tamen, non perdidit unci mor- | terrogat nisi sola mater. Idem.

tamen fas est cogitationis memoria tractare verba miseræ quæstionis, cur me coram populo magis interrogas? Eamus, uxor, in illam desolatam domum, in illud jam patris filiique secretum, ibi me interroga, ibi, ubi torſi, ubi occidi, ubi adhuc forsitan filii tui vaga per mœstos penates anima discurret. Porrigat aliquis imaginem juvenis occisi, ponat in sinu matris illas vestes, quibus ipsa juvenem misera comebat. Eamus ad tumulum, misceamus super busta lacrymas. Ibi aut tacebimus pariter, aut invicem confitebimur. Jam jam miser mori possum, explicuit te sollicitudo, pietas. Non scribo tabulas, testamento suprema verba non credo, & ego moriar in tormentis meis. Illud tantum novissimis precibus à te civitas, per liberos, per conjuges, per natos, à te uxor per occisi juvenis umbram peto, à te, mater, ne quid amplius quæras, tu infamiam ne dicas.

[ Tu infamiam ne dicas.] Hæc verba ad civitatem vel populum diriguntur, non ad matrem, à qua quod peteret, jam exposuit; hic indicat, quid à civitate vel populo: nimirum, tu infamiam ne dicas.

Sic enim scribendum censeo. Quod, ut & superiora, pluribus illustrari potuissent: sed & nos festinamus & typographus. Gronovius.

F I N I S.